

traordinaria liberalitate in valedictione cumulatus *Londini* discessit.

Quominus noster in reditu Germaniam inviseret, impedivit belli flamma, quæ triste mortalibus præbebat spectaculum; domus, vicique passim rapinis & incendio erant afflicti, infidæ ubique viæ, sola denique castra in squalentibus campis fulgebant. Ut itaque tutiorem viam sequeretur, iterum ex portu *Reé Dieppam* cursum instituit, sed quod periculum in Germania timuit, in ipsa transfretatione reperijt. Rates piraticæ Dunkerkianæ, in minora ut occurrebant navigia grassabantur, & fato in navem in quâ vehebatur noster, incidentes explosione Bombardæ significarunt, ut gubernator cursum sisteret: facile & sine Delio urinatore hariolari poterant quid vellent: humanitatem ab illis expectare non permisit artis ipsorum crudelitas, quæ charitatis sensum jam dudum in ipsis deleverat; proprijs oculis aspexerant quomodo alios captivos & miseros fecerant. Trepidatum itaque est in tota navi, dum inter spem & metum versabantur quid ipsis subeundum esset: placuit Piratis ire ad prædam; expedierunt itaque scapham, & quoniam plerumque vectores commeatum præciosissima suis vestibis recondunt, omnes visiterunt etiam HUMELIUM, qui tamen nummo aureo crudeli scrutatori satisfacere potuit. Solus CASAUBONUS Magni ISAACI CASAUBONI filius, qui literas regias & magnam vim argenti secum ferebat, mortuum se simulando ab ipsis intactus mansit, eodem astu Piratas decipiens, quo Æsopicus Venator voracitatem ursi eluisse dicitur. Postquam ad oram Galliaë appulissent,  
Noster